

CONCIONES NUPTIALES.

- I. Sponsus sit quasi sol, sponsa quasi luna, ex somnio Josephi patriarchæ.
 II. Sponsus sit quasi choraules, sponsa quasi lyripi-
 pium, ex proverbio Salomonis, etc.
 III. Maritus sit surdus, uxor cæca, ex concilio Al-
 phonsi regis Aragoniæ.
 IV. Conjugium initari ad crucem se pergere cogitent,
 ex somnio Artemidori.
 V. Hastis armandi conjuges, ex antiqua nuptiarum
 cæremonia.
 VI. Ducturus uxorem utriusque juris peritus sit.
 VII. Nuptiæ contrahendæ in Domino, ex præcepto
 S. Pauli.
 VIII. Sponsus et sponsa dantur ab Ecclesia, ut buc-
 cellæ, ex dicto Tertulliani.
 IX. Sponsus ita amet suam sponsam, uti Christus
 Ecclesiam, ex doctrina Sancti Pauli.
 X. Conjuges christiani sint duo jugales boves, ex
 antiquo Germanorum dono nuptiali.
 XI. Conjugii periculis quomodo occurrendum, sicut
 Ariadnæ.
 XII. Sponso offertur pecten, sponsæ vero speculum,
 papæ Bonifacii V.
 XIII. Pia inter conjuges colluctatio, ex Sacrarum more.
 XIV. Officina conjugum mutua, in viro seminante
 et uxore pensente.
 XV. Cur sæpe infelicia sint conjugia, ex deficiente
 in nuptiis vino.

CONCIÓ I.

SPONSUS SIT QUASI SOL, SPONSA QUASI LUNA,
 EX SOMNIO JOSEPHI PATRIARCHÆ.

Exhortationem sacram impertiturus vobis o
 novelli conjuges, quo illustriori nomine vos com-
 pellem, quam quo castissimus ille puer Joseph
 compellavit parentes suos, quando visum sibi
 somnium enarravit eis in hunc modum: *Vidi
 per somnum quasi solem et lunam et stellas undecim
 adorare me*, Gen. XXVII. Intellexit illico somnium
 hoc pater ejus Jacob, dixitque: *Quid sibi vult hoc
 somnium quod vidisti? Num ego, et mater tua, et
 fratres tui adorabimus te super terram?* Intellexit,
 inquam, se velut patremfamilias per solem, ux-
 orem suam per lunam, filios undecim per totidem
 stellas Josepho designatos fuisse. Cui regius
 Psalmista, qui Ps. XVIII. solem sponsi nomine

- XVI. Tria matrimonii bona temperantur annexis mi-
 seriis, ut mel Samsonis apum aculeis.
 XVII. Concordia inter conjuges, velut suavis lyra
 sonus, qua ratione parandus et conservandus, ex
 antiquorum somnio.
 XVIII. Amor et concordia conjugalis commendatur,
 ex Charitate Passthæa.
 XIX. Qualis esse debeat conjugalis amor, docent tres
 Charites, invitandæ ad nuptias, ex consilio Salo-
 monis, Prov. XVIII. supra exhort. XVIII.
 XX. Nuptiæ morti similes, ex gentiliis et Judæo-
 rum sensu.
 XXI. Ciconiæ duces et doctores conjugum. Ex Ps.
 CIII.
 XXII. Paterfamilias sit quasi rex in domo, mater-
 familias ejus quasi præfectus; ex doctrina S.
 Chrysostomi.
 XXIII. Vir uxorem regat, sicut naucerus navim, ex
 Prov. Salomonis.
 XXIV. Per columbarum typum conjugum, ex Levit.
 c. XII.
 XXV. Nuptiæ antiquorum nostris in exemplum pro-
 ponuntur.
 XXVI. Quid sibi velit annulus nuptialis.
 XXVII. Cæremonia nuptiarum christianæ explicantur.
 XXVIII. Ritus nuptiarum gentiles exponuntur.
 XXIX. Sponsorum exemplar S. Joseph.
 XXX. Sponsarum idea S. Maria Virgo.

cohonestat: *Et ipse (sol) tamquam sponsus proce-
 dens de thalamo suo*. Quidni lunam ejus sponsam
 dixeris, quæ tamquam *adjutorium simile soli*, et
 velut *luminare minus majori correspondens?*
 Cæterum quia in ipsis plura sunt, quæ sponso et
 sponsæ, patri, matrifamilias egregie conveniunt,
 et nunc, velut a Spiritu s. insinuata, vobis pro-
 ponam.

I. Sol communicat lunæ lumen suum, ita ut
 luna non tam suo, quam solis lumine splendeat.
 Idem facere sponsæ, maritus uxori debet: im-
 pertiri scilicet splendorem sui nominis, doctri-
 nam, opes, mensam, vestitum et quidquid boni
 habet. Itâ imprimis Adam communicavit Evæ
 nomen suum. Gen. II. cum appellari eam vo-
 luit, *virginem*, seu rectius *viram*, Hebr. *ischa*,
 cum ipse diceretur *vir*, Hebr. *isch*. Hæc appella-
 bitur *virago*, (h. e. *vira*, ut antiqui, teste Sexto

Pompeio loquebantur) *quia de viro sumpta est*.
 Adhuc quoque mos est in regnis Valentia et Ca-
 talonia, ut uxores omisso sui generis nomine,
 maritorum nomina accipiant, ut testatur Gabr.
 Alvarez, in c. IV. Isa. § I. Quin et in Germania
 nostra frequenter id usu venire novimus. Juxta
 leges etiam civiles, *uxores coruscant radiis mari-
 torum*; ita enim, ut si baronissa nubat comiti,
 non jam baronissa, sed comitissa appelletur.
 Quæ æquum omnino est, ut vir quoad potest,
 possessiones suas uxori communes faciat, nec
 patiat eam famere, dum ipse bene comedit:
 aut laceram incedere, dum ipse vestibus nitet.

II. Luna, qua parte luminosa est, nunquam
 non aspiciet solem, adeo ut potius a tota terra
 sese avertat, quam a sole. Pari ratione uxor ab
 omnibus aliis viris vultum suum abstrahat, et ad
 solum suum virum sese convertat, nec ab ejus
 conspectu facile recedat. Hoc ipsi a Deo injunc-
 tum videtur, cum ei dictum est, Gen. III. *Sub
 viri potestate eris*. Quod Septuaginta et Chaldaeus
 ita vertunt, *ad virum conversio tua erit*. Soli enim
 viro suo non alteri placere studeat. Quod præclare
 observavit Tigranis, Armeniæ regis conjux, quæ
 una cum marito in captivitate sub Cyro Persarum
 rege constituta, cum audisset maritum in
 Cyri mensa dicentem, se pro ejus redemptione
 vitam libenter daturum, postea una cum marito
 libertati restituta, cum rogaretur a Tigra-
 ne, cui placuisset ipsi Cyri humanitas, respondit: *Non
 ego in Cyrum oculos converti, sed in illum qui dice-
 bat, se vita sua me redempturum*, h. e. in maritum,
 auctore Xenophonte in Cyro. Hoc si fecisset uxor
 illius Loth, utique in salis statum mutata non
 fuisset. Quamdiu enim illa ad maritum attendit
 eumque secuta fuit, tamdiu salva et incolumis
 fuit; ast ubi in fuga a marito oculos avertens res-
 pexit retro ad omissam igne patriam ejusque de-
 licias, vitam et maritum perdit: *At cujus visus
 non erat immunis, ex culpæ consortio mortem effu-
 gere non posset, quamvis propter justi contubernium
 eruta sit de incendio*, ait S. Augustinus, lib. II. de
 mira script. c. II.

Porro sicut corpus lunare a solari post con-
 junctionem sensim per singulos menses recedit,
 et postea rursus accedit: ita quoque conjuges
 subinde corpora sua meminerint separare ab
 officio conjugali, cum orationi scilicet aut sa-
 cræ communioni opera danda est: quod ex
 apost. I. Cor. VII. discunt: *Nolite fraudare invi-
 cem, ait, nisi forte ex consensu ad tempus ut vacetis
 orationi: et iterum revertimini in idipsum; ne tentet
 vos satanas propter incontinentiam vestram*. Ubi
 satis indicat posse id sæpius fieri cum pericu-
 lum incontinentiæ non subest.

III. Sol et luna cum e diametro sibi opponun-
 tur, faciunt eclipsin plerumque damnosam ani-
 mantibus et plantis: tristem et formidabilem ge-
 neri humano. Pari modo dissidium et jurgium in-
 ter conjuges perdit rem domesticam, ipsamque
 domum totam mœrore et timore complet; Satan
 interim tripudiat juxta vulgarem nostram parœ-
 miam: nascitur enim occasio eos in adulterium
 aut divortium præcipitandi. Audiamus D. Chry-
 sost. hom. XX. in ep. ad Eph. c. V. « Si hi vir
 et uxor sint in concordia, et recte aluntur filii,
 modestique sunt famuli et ordinem non dese-
 runt, et bono eorum odore fruuntur vicini, amici
 et cognati. Sin autem contra, evertuntur et con-
 funduntur omnia. Et quomodo cum duces exer-
 citus inter se pacem agunt, omnia suam ser-
 vant consequentiam, et si rursus illi turbentur,
 sursum et deorsum aguntur omnia: ita nunc
 quoque. » Et rursus hom. X. in ep. ad Coloss.
 « Nihil amarulentius, ait, quam si viro pugna
 sit adversus uxorem, sunt namque acerbæ pug-
 næ ac lites, quæ fiunt adversus personas dilectas. »
 Quod ne fiat, cedat alteri, vir uxori ut
 debilliori, uxor viro ut digniori. Discant hoc vel
 a capris illis duabus, quas vidisse se dixit Mu-
 tianus, apud Plin. I. c. L. in ponte perangusto
 sibi factas obvias. Cum enim una juxta alteram
 transire nequiret, ne regressum longitudo pon-
 tis admitteret, torrente rapido subterfluente, quid
 agunt? Una earum procubuit, altera eam pro-
 culcans supergressaque transiit. Discite o novi
 conjuges, discite a brutis vobis familiaribus ce-
 dere alteri conjugi, cum in angusto matrimonii
 ponte, e quo regredi non licet, adversis forte
 cornibus vobis invicem obviatis: ne dum unus
 alterum detrudere conatur, ambo in profluen-
 tem inferni decidatis.

Cæterum et hoc vobis observandum, quod
 cum sol totus a luna se abscondit ob terram in-
 terpositam, tunc obscuratur et eclipsin patitur
 luna, quodammodo tristatur abducto sibi spon-
 so. Ita prorsus mœrore confici uxorem necesse
 est, cum maritus per alienas domos, ne dicam
 per tabernas, aut, quod deterius est, per pros-
 tribula vagabundus, ab uxore se abscondit, ex-
 traneo amore et terrena voluptate se inter se et
 conjugem interposita.

IV. Luna, qua parte solem aspiciet, semper est
 lucida et pulchra; altera vero parte, qua a sole
 aversa terram vel stellas respicit obscura et de-
 formis. Consimili modo uxor non nisi ad oculos
 viri, ut viro suo placeat, se ornare studeat: aliis
 vero ne placeat, sese non adornat, sed inornata
 potius in conspectum eorum prodeat. Ita enim
 monet apostolus I. Corinth. VII. *Quæ autem*

nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Liberam ergo potestatem habet ornandi et colendi se, dum versatur domi coram marito: verum eo absente quorsum ornatur? Quorsum pingitur? Nonne suspicionem præbet, quasi aliis non suo placere viro cupiat? Merito proinde invehitur S. Chrysostomus in uxores illas, quæ domi coram marito sordide incedunt cum autem foras prodire volunt, sese adornant. Ita enim ipse hom. X. in ep. ad Coloss. ad mulierem: *Quid ornaris? Dic quæso, inquit, ut viro placeas? Igitur domi hoc facias. Hic vero contrarium sit: scilicet domi summa injuria, si foras itur, annus est dum comuntur. Si autem proprio vis viro placere, aliis ne cura, ut placeas, si vero placere vis, non potes placere viro.* Sic ille.

V. Sol longiorem viam cæli percurrit, luna brevior, quia terræ propinquior. Pari modo maritus graviores in se labores suscipiat, leniores uxori relinquat, velut debiliori sexui, qui non ex toto Adami corpore, sed ex una tantum ejus costa formatus est: neque Evæ dictum est: *Ut operetur et custodiat paradisum*, sed Adamo. Turpe esset viro, si ipse equitaret, et uxorem pedibus iter facere juberet: qua nota taxantur viri in Hollandia quod ipsi in tabernis diem potitando transigant, labores vero domesticos in uxores rejiciant. Non sic egisse sponsum B. Virginis credendum est; qui proinde fugiens in Ægyptum pedes pingitur pone vel a latere sequi sponsam in asello sedentem.

Ad hæc sol per diem, luna vero absente sole per noctem suum in terras influxum habet. Ita maritus dum domi est, imperet et gubernet domum: in ejus vero absentia uxor viri partes obeat. Ille solis instar acriores radios fundat, severiori disciplina filios et familiam coerceat: ista mitiori influxu, velut luna fervorem viri temperet. Vir ad ea, quæ foris agenda sunt in foro, tribunali, agro, nundinatione et itineribus, strenuum se exhibeat, et cum sole forensia negotia perlustret. Uxor quæ in domo sunt, componat et quasi nocturno lumine dirigat. Sic fiet, ut quemadmodum sol et luna dum pulchre inter se conveniunt, mundum optime gubernant et bonis omnibus replent, sic etiam conjuges domum suam et bene regant et locupletent.

CONCIO II.

SPONSUS SIT QUASI CHORAULES, SPONSA QUASI LYRIPPIUM, EX PROVERBIO SALOMONIS, ETC.

Nihil communius in nuptiis præsertim rusti-

corum, quam ad excitandum lætitiæ et coonestandas nuptias, adhibere choraulem et lyripiarium qui duo tibicines vel fidicines quasi connubio aliquo copulati, solent obire nuptias et choreas, ut præsentem cantu suo accendant ad lætitiæ; ita simul juncti, ut unus sine altero accinente ingratus et insuavis sit; unitis autem tibiis pergratam edere musicam putentur. Sed quid huic concentui cum nuptiis? Multum profecto; nam si bene expendantur, præscribunt novis conjugibus, qua ratione inter sese jucunde vitam agere et tranquille possint; nec sine oraculo divino, quod judicat matrimonii statum modulationi seu concentui similem esse debere, Pr. XIX. ubi dicitur: *A Domino proprie datur*, (scilicet juxta Septuaginta, aptatur: et juxta textum Græcum, admodulatur) *prudens uxor*. Quo verbo designatur quasi musicalis consonantia, unde harmonia dicitur concentus aptus. Observavit hoc S. Ambrosius in c. XVI. Lucæ, cum ait: *Bene dixit Græcus textus. Harmonia enim conveniens et apta rerum omnium dicitur commissa connexio.* Et mox: *Ergo ubi nuptiæ harmonia, ubi harmonia, Deus jungit; ubi harmonia non est, pugna atque dissensio est, quæ non est a Deo, quia Deus charitas est.* Sic ille. Duo igitur conjuges ejusmodi harmoniam pulcherrime efficient, si quos dixi duos illos nuptiales tibicines imitati fuerint; id quod mox videbunt.

I. Choraules incipit intonatque cantum, lyripiarius subsequitur, sic etiam uxor viro primas ubique deferat, prior ipso non loquatur aut aliquid concludat, sed honorem ipsi deferat, ex ipsius ore et consilio dependeat. Id enim a primæva conjugii institutione insinuatum est a Deo, cum non Adam ad Evam, sed Eva ad Adamum adducta fuit. Quam ob causam etiam Gen. III. ipsi Deus dixit: *Sub viri potestate eris*, Hebraice ad virum *tescukatech*, h. e. *recursus tuus*, ut vertunt Septuaginta et Chaldaeus, propterea etiam Adam prior creatus est, Eva post ipsum: velut sexus debilior, tam intellectus quam corporis viribus. Quod si observasset Eva maritum et suos posteros una secum non perdidisset. Dum enim interpellata a serpente, prior ipsa locuta fuit, non consulto marito, ideo in nassam incidit. Advertit hoc S. Ambrosius in id Ps. I. *Beatus vir: Quæ male cepit, sequi debet*, ait, *ut vel post experimentum sit verecundior. Male Eva naturæ ordinem prætermisit, expectare debuit præcedentem. Astute serpens a posteriore cepit* Hinc bene Ecclesiast. c. LII. dicit: *Mulier si primatum teneat, contraria est viro, quasi dicat, turbat cantum et inconcinnum reddit, sicut cum in musica vox inferior transcendit superiorem.* Audiamus Hugonem

Purpuratum in eum locum: *Mulier si primatum habeat, id est dominium vel magistratum, contraria est viro suo, quia non vult quod ipse vult. Unde ad litteram ostendit, quia noxius est primatus mulieris, quæ debet subjici non præponi!* Idem nostri Germani proverbio decantant, quod dicit: *Non decet in conjugio gallinam canere ante gallum.* Præclare hoc observavit illa simplex et recta negotiatoris naufragio depauperati, ideoque ob æs alienum vinculis constricti uxor, quæ a viro divite tentata, ut, si virum redemptum euperet, turpi ejus voluntati assensum daret, respondet se ex apostolo audiisse, mulierem in potestate viri esse, proinde se ituram prius et maritum interrogaturam, an id fieri licite posset. Ivi, interrogavit, et prohibita a flagitio, reat ad divitem, asserens nequaquam sibi licere, quod ipse postularet: Deum aliter sibi ac viro provisurum uti mox providit, in prato spirit. Joan. Moschi, c. CLXXXIX.

II. Choraules regit cantum, lyripiarius ipsum sequitur, eique se accommodat, eamdem cantilenam modulans, unde Plutarchus dixit: *Duabus vocibus simul sonantibus, gravior sit concentus. Ita quidquid fit in familia, fit quidem utriusque consensu, sed tamen arbitrio mariti.* Ita decet, ut per omnia, quæ Deo et honestati contraria non sunt, uxor marito se conformet in fide, victu, vestitu, moribus. Idcirco enim e latere viri facta est, ut ei subjiciatur et quasi latus ejus stipet, quando una cum ipso incedit. Unde apost. ad Eph. V. ait: *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris sicut Christus caput est Ecclesiæ*, capitis autem directionem sequuntur alia membra ita ut ad primum ejus imperium, imo imaginationem mox ad imperata sese accingant, cur non et uxor quoque ad imperium mariti se accommodet? « Ita priscis fiebat temporibus, (inquit S. Chrysostomus hom. V. in I. ad Cor.) suum unusquisque implebat officium. Accepit Abraham secum Loth filium fratris sui, et non accusavit uxor: jussit ut longum iter faceret, et non contradixit. Item post multos labores, et sudores dominus factus Abraham, cessit Loth in electione terræ et Sara mariti probavit voluntatem, imo cum postea Loth gravissimum periculum subiisset, Abraham suos omnes armavit adversus omnem Persarum exercitum, cum suis dumtaxat familiaribus se præparavit et Sara non dissuasit, neque dixit, quæ tunc dici poterant: *Mi vir, quo ruis in præceps? Quo impelleris? Cur te tantis periculis exponis? Et pro homine, qui se tibi anteposuit, sanguinem effundis? Quod si te ipsum contempnis, saltem mei, quæ propter te domum*

et patriam reliqui et cognatos, et in tam longinquas regiones tecum peregrinata sum, miserere, et noli me viduitate et viduitatis malis afficere. Nihil tale dixit Sara neque cogitavit sed omnia pertulit silentio. » Primo venit etiam hoc nomine laudanda illa Sapphira, axor Ananiæ, Act. V. quæ mariti, omnem possessionem abdicantis et Ecclesiæ devotentis voto ac voluntati se per omnia conformavit, eamque ratam habuit. In eo vero erravit, quod mentientem virum, et ipsa cum mendacio prosecuta fuit. Quod enim vir contra Deum agit nequaquam uxori imitari licet. Laudabilis Leonora beati Francisci Borgiæ, Gandiæ ducis, in sæculo adhuc existentis conjugis, cum simpliciore veste uteretur, de hoc interpellata a nobilissima quadam matrona, respondit: *Mene byssinis, sericis aut purpureis induistis, cum dominum meum cilicium gestare sciam?* Ribad. in vita Borgiæ, lib. I. cap. XII.

III. Choraules continuo inflando tibia, plus laborat, quam lyripiarius, qui subinde respirare a statu potest, modo ut rem premat. Idem in conjugio fiat: graviores in se labores maritus suscipiat, leviores in uxorem rejiciat, equo respirationem subinde a laboribus concedat. Nemo certe prudens graviores sarcinam debiliori imponit equo: quis autem nescit sexum mulierem virili infirmiore esse? Hinc et olim apud ethnicos sponsa inducta domum viri, in pelle lanata statuebatur: vir non item, ut sciret uxori suæ aliquid condonandum et parcendum esse. Hunc ad modum Abraham et Sara partiti sunt inter se labores, ut ipse quidem foras ad armentum curreret et hædum (graviori utique labore) dorso impositum deferret: uxor vero in culinam ad coquendum (leviori opera) panes se conferret, Gen. XVIII. Atque hinc opinor, noluit Deus obligare feminas ad peragendum iter in Jerusalem temporibus præfinitis, cum tamen viris id mandaret, et quidem ter in anno, Exod. XXXIV. *Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel.* Fuisset enim hoc iter fragiliori sexui valde laboriosum, e locis præsertim remotioribus. Neque dicas pro custodia ædium eas domi relinquendas fuisse; promisit enim ibidem Deus omnes peregrinantium domos eo tempore a quibuscumque insidiatoribus fore securas. Parcere igitur Deus femineo sexui voluit eximendo eum a lege illa, uti sentit Oleaster in eum locum scribens: *Tamquam pius et misericors hoc fieri voluisti: ne scilicet sexus infirmior longiori itinere gravaretur.* Viderint mariti, ut hanc Dei clementiam et ipsi imitentur: non premant uxores laboribus, dum præsertim ipsi in popinis sedent, sed e contra

illis colum et acum permittant, ipsi stivam apprehendant et securim. Quamquam etiam viro suo danda est a laboribus respiratio, uxori vero otium nullo tempore permittendum: quomodo etiam choraules a difficiliore statu subinde respirat: non item lyripiarius, qui licet ut rem non semper inflet continuo tamen premit, et resonare cogit. Atque hinc laudatur mulier illa fortis, Pr. XXXI. cum dicitur de ea: *Consideravit semitas domus suæ et panem otiosa non comedit*, q. d. etiam cum cibum sumit, otiosa esse non debet, sed curam domus habere.

IV. Duo illi tibicines simul cohærere simulque canere debent: unus sine altero ingratum et imperfectum cantum edet. Non aliter duo conjuges mutuo sibi adhæreant, mutuo se ament, quasi una caro et una anima. Hinc tam Moyses in veteri lege, quam Christus Dominus in nova, licet admittant separationem a patre et matre, a fratribus, ac filiis, ab uxore tamen non admittunt, Moyses, Deut. XXXIII. de levitis ita loquitur: *Qui dixit patri suo et matri suæ: Nescio vos, et fratribus suis: Ignoro vos, et nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt*, q. d. præteritum serviendi Deo possunt relinquere consanguineos suos sed uxoribus exceptis illos: « Quamquam reclamantes, ait Rupert. l. III. in Gen. c. XXXVIII. vel invitos relinquere jure licebit (ad custodiendum Dei eloquium). Sola autem uxor est, quam volentem, et idem propositum amplectentem, dimitti fas non est. » Matth. X. idem confirmans ait: *Veni separare hominem adversum patrem suum, et filium adversum matrem suam, et nurum adversum socrum*. Inter virum tamen et uxorem nullum voluit seminare dissidium aut separationem (excepta causa fornicationis) ut summa semper in illis concordia vigeret. Idem pulchro symbolo gentiles expresserunt Castoris et Pollucis: quæ duo sidera cum simul, quasi duo gemini apparent, secundam nautis navigationem et omen portentant bonum. Si vero eorum alter dumtaxat eminet, malum præauguratur, teste Claudio Paradino in symbol. heroicis. « Eodem modo, addit auctor, si mutui conjugum amorem pergit in re domestica affulgere certum tranquillitatis et felicitatis domesticæ indicium promittitur. E diverso, si alterius improbitate divortium conjugatis accedat, ruinam et perniciem denuntiat. » Exemplum habemus primo in gentili femina, Hypsiratea, Mithridatis regis Ponti conjugæ quæ habitu virili induta, tonsis capillis, militiæ assuevit, quo maritum semper insequeretur, et omnibus ejus periculis interest ac laboribus, teste Val. Max. l. IV. c. VI.

Deinde in Hebræa illa Sara, quæ Abraham conjugem, jam hæc jam illuc peregrinantem in varias regiones ubique prosecuta est, velut comes individuo.

V. Rarum et asperum choraulis sonum temperat lyripiarius gracili suo et suaviori concentu. Ita quoque uxor austerius viri imperium suavioribus verbis lenire et temperare studeat. Ideo et naturæ auctor mulieri gracilem ac subtilem vocem, viro autem gravem et profundam dedit; ut ipsa velut discantus tenorem vel bassum viri emolliat. Facit hæc, quod Ælianus, l. XII. de animal. c. XLIV. scribit de elephantibus, qui capti primo ferocunt, et si vinculis constringantur, aut verberibus tundantur, magis efferantur; neque deliniuntur cibariis illecebris: at si Indi instrumento musico, quod scindapsum appellant vernaculam eis cantilenam accinant, tunc aures arrigunt et sensim mitescunt, cibumque objectum accipiunt. Faciat et hoc irato et austero viro, canat suo lyripiio suavem ei cantilenam, ac nisi is elephante ferocior sit, utique mitescet. Ex hac dote laudatur mulier illa fortis, Prover. XXXI. cum dicitur: *Lex clementiæ in lingua ejus*, q. d. pro lege sibi statuit loqui verba clementiæ, seu, ut Chaldeus habet *verba gratiæ*, ad mitigandam viri austeram et iracundam vocem. Hac lege S. Monica virum suum Patricium, immitem valde et asperum lenitate et mansuetudine non solum mitigavit, et sedatum fecit sed et ad veram fidem produxit, teste filio Augustino, lib. IX. conf. cap. IX. Quo etiam spectat, quod D. Chrysostomus, hom. XXVI. in ep. ad Corin. ait: *Uxor portus est mariti, portum autem oportet esse tranquillissimum, ne ille in portu faciat naufragium*. Advertant hæc uxores, et quando vident viros suos procella iracundiæ agitari ne fluctus majores ipsis impellant, sed portum ejus tranquillum potius placidissimis verbis aperiant, ut quando fessi a laboribus domum revertuntur, quietem inveniant. Felices vos o conjuges, si hæc musica audiatur in conjugio vestro. Quam ut obtineatis, ad Deum recurrite: *A Domino enim datur et sic dicam harmonizatur prudens mulier* quæ hunc concentum perficit. Instrumenta musica musici concordant: verum Dei opus est, attemperare conjuges.

CONCIO III.

MARITUS SIT SURDUS, UXOR CÆCA, EX CONSILIO ALPHONSI REGIS ARAGONIE.

Mos antiquus est, benedicere et fausta precari

novis nuptiis. Ita Raguel tradens filiam Tobie precatus est: *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjungat vos impleatque benedictionem suam in vobis*, Tob. VII. Idem ego facturus hodie cælestem benedictionem vobis, o novi conjuges, apprecabor ut felix et tranquillum matrimonium ineatis. Qua vero ratione hoc ipsum consequimini? Si consilium sapientissimi regis Aragonum Alphonsi sequamini, qui dicebat ita demum matrimonium tranquille, citraque querimonias exigi posse, *si maritus surdus, uxor cæca*, Panormit. in rebus Alphonsi. Sed forsani mihi dicetis infaustum quid hoc sonare: nec tam benedictionem quam maledictionem apprecari. At non ita est, uti mox audietis.

I. Surdum esse maritum expedit primo, ne uxoris garrulitati faciles aures præbeat, multo vero minus pravis ejus blanditiis et suggestionibus locum det. Scire enim debet, longos quidem capillos, brevia autem consilia esse mulieribus. Experti non sunt pauci, qui uxorum blandiloquentia et loquacitate seducti sunt: Adam imprimis suasu Evæ, Samson importuno suæ Dalilæ postulato, Achab rex objurgatione Jezabelis, aliique. Ad hujusmodi sermones surdum esse maritum oportet et uxori respondere cum S. Job: *Quasi una stultis mulieribus locuta est*, Job, c. II. Ubi tamen advertunt S. Basilus et Chrys. moderationem a Job adhibitam, dum non plane stultam, sed *quasi unam de stultis mulieribus* compellavit. Non inepte etiam maritus usurpare ad uxoris garrulam vocem posset dictum S. Basilii ad Demosthenem quemdam Valentis imper. coquum Arianum sibi oblatrantem et Scripturas opponentem: *Tuum est de pulmentis cogitare non de dogmate divina decoquere*, in hist. tripart. l. VI. c. XXXVI. Nihil denique melius, quam loquaculis uxoris aures ocludere aut jocosas compescere, ne si rem verbis vel verberibus agere velis ignem igni addas. Suadet hoc D. Chrysost. homil. XXXVIII. in Gen. *Hoc est, inquit, verum contubernium, hoc mariti officium, quando non magna diligentia ad mulieris spectat verba, sed imbecillitate sexus veniæ non nihil concedit, hæc unum satagens, ut e medio tollatur tristitia et pax atque concordia constringatur arctius*. Dexterimus in hæc arte fuit Socrates, qui dum Xantippes suæ molestias et jurgia in risum traxit, pulcherrime de ipsa sese vindicavit, aliquando cum rixantem ad nauseam audisset, illa viri patientia magis irritata de fenestra eum lotio perfudit. At ipse nihil motus in risum mox injuriam convertens: *Facile divinabam*, inquit, *post tantum tonitru pluviam secuturam*. Idem quo-

que admiranti hanc ejus æquanimitatem Alcibiadi respondisse fertur: *Uxoris garrulitate non magis offendor, quam si rotæ, quæ aquam educit, stridorem audiam*, Laert. in vita Soer. Non minus dextre facere ac alius apud Hadrian. Barlandum, hospiti in diversorium suum admisso, cum is vociferantem diutius uxorem ejus, rixantemque cum ancillis inique ferret, respondit: *Ecqua amice, hæc tua impatientia est, duos et triginta annos hujus ego clamores fero patientissime: tu vero ne per unius quidem horæ scotantem ferre illos potes?* Quo dicto et hospitem leniit, et uxorem ab ira ad risum convertit. Quis hunc virum non dicat fuisse surdum, magna quidem cum laude, et apud Deum merito?

II. Surdum se maritum præbeat, cum præter uxorem altera femina ipsi dilaudatur, quasi pulchrior aut nobilior seu prudentior. Quod et uxor imitetur, cum ipsi vir alius commendatur. Audite vos sponse et sponsa, sponsum cælestem de sponsa sua loquentem Cant. II. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, q. d. sola sponsa mea instar lili odor et candore suo me recreat ac demulcet: cæteræ feminae omnes mihi spinæ sunt et displicent, meque vulnerarent, si vel tangerem vel audirem eas. Audite et sponsam sponso respondentem: *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios*, q. d. quanto speciosior est malus rubicundus onusta pomis, agrestibus et silvestribus arboribus, quæ aut nullos aut agrestes fructus ferunt: tanto præstat mihi que charior est sponso meus præ omnibus viris et amatoribus. Hujusmodi sponso, egregie surdus, fuit Ludovicus Thuringiæ princeps, S. Elisabethæ maritus. Cum enim aliquando choreas de fenestra spectaret, visaque in eis puella decora, speciem ejus laudaret, quidam aulicus assistens sponso, se eam principi adducturum, quin et substraturum. Quod audiens Ludovicus, vehementer iratus: *Obmutescite*, ait, *et nunquam deinceps talia meis auribus inferas si velis mea gratia et amicitia frui*. Confusus ille obmutuit tremens, ut habetur in vita S. Elisabethæ. Ita vos mariti, ita surdi estote. *Estote*, inquam, *prudentes sicut serpentes et instar aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudit vocem incantantium*, Ps. LVII.

III. Non audiat facile, neque credat, quæ de uxore temere sparguntur, quas minus ipsi fidelis sit; sed bonam semper de ipsa concipiat opinionem. Ita monet Ecclesiasticus, c. IX. *Non zelus mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam*, h. e. ne forte quod nunquam somniaret importunis querelis eam doceas. *Nitimur enim in vetitum semper*. Impegit in hoc do-